

No. 215. 1272. 21. Jan.

B. Withigo und das Domcapitel erklären, dass der Streit mit den Vögten der Markgrafen von Brandenburg wegen gewisser Jurisdictionen- und Zehentrechte im Lande Budissin beigelegt sei.

Nos Withigo dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus tenore praesentium protestamur, quod super discordia, quae orta fuerat inter illustrem principem, dominum Johannem marchionem Brandenburgensem et Ottonem et Cunradum fratres suos ex una, et nos et capitulum nostrum ex parte altera, iudiciorum, quae advocati de Budessin in terra Budessinensi in possessionibus et proprietate ecclesiae exercuerant, quorum etiam occasione divina in praedicta terra iam dudum suspensa fuerant, ad quae concordanda in Budessin una cum praedicto principe domino Johanne marchione convenimus in hac forma, quod quatuor personis fide dignis commisimus utrobique Eckehardo de Milbuz, Sifrido de Bissowwerde militibus ex parte nostra et capituli nostri, Petro de Kasowe et Gotfrido de Guize militibus ex parte principum praedictorum ad hoc deputatis, ut a senioribus et melioribus inquisita plenius veritate dicerent et diffinirent, an super bonis et proprietate ecclesiae nostrae Misnensis dicti principes aliquid iuris vel iudicii possiderent. Qui quatuor, fide data et corporali praestito iuramento, investigato negotio, coram nobis et dictis principibus, multis astantibus nobiles et fide dignis fuerunt publice protestati, quod dicti principes Johannes, Otto videlicet et Cunradus in tota terra Budessinensi et terminis illis, quos dominus rex Bohemiae dando eorum progenitoribus assignavit, in bonis et proprietate nostra et ecclesiae nostrae tam in feodatis quam in liberis nihil iuris vel iudicii habuerunt, sex villis duntaxat exceptis pertinentibus ad nos et proprietatem ecclesiae nostrae, quorum nomina sunt haec: Muzslesuwiz, Kupscizt, Kunewalde, Begerstorf, Sprewenberc et Friderichstorf^a), in quibus dixerunt ad dictos principes iudicium pertinere. Super decimis quoque novallium circa villam Sleppe inter nos et ipsos marchiones est taliter ordinatum, quod quilibet mansus tempore census dabit nobis et ecclesiae nostrae Budessinensis monetae tres denarios nomine decimarum. De decimis vero in Hogerswerde^b), quas vir nobilis dominus Hogerus de Vridebere a nostra ecclesia et a nostris praedecessoribus et a nobis in feodo tenuit, sic etiam est tractatum, ut praedicti marchiones nos et nostros successores non impediri facient, quin nobis et nostris successoribus sine diminutione modo debito persolvantur. De decima in Goric^c), quae vacabat nobis de morte duorum fratrum Reinhardi videlicet et Hermanni, sic etiam est tractatum, quod deinceps nobis et nostris successoribus, qui pro tempore fuerint, sine impedimento integre persolvatur. Quicquid etiam retentum est de dictis decimis, nos pro bono pacis et concordiae relaxamus, dampnum etiam et iniuriam nobis et ecclesiae nostrae per advocatos dictorum marchionum illatam, ad consolidandam amicitiam maiorem, quantum ad nos pertinet, ex mera relaxamus animi puritate. Actum et datum in Budessin

a) Muschelwitz (Mäuselwitz), Par. Göda; Kubschütz, Par. Purschwitz; Cunewalde, Beyersdorf, Spremberg, Friedersdorf (das letztere jetzt zu Böhmen gehörig), sämmtlich bei Neusalza. b) Hoyerswerda, preuss. Oberlausitz. c) Obergurig, Par. Wilthen oder Niedergurig, Par. Malschwitz.